

Contio coram Vniuersitate Dominica 2^a post Epiphaniam habita

Cotidie precamur uerbis Domini nostri utentes, *Ne ducas nos in temptationem sed libera nos a malo* [Mt 6:13]. Aeuo praeterito antecessores nostri qui in hoc loco scholas rexerunt Sacram Scripturam quadruplicem iuxta sensum legere solebant, hodie autem nos tripliciter tantum. Textum illum Matthaei euangelistae ad litteram interpretanti praeclare apparet Deum rogandum ut nobis auxilium praebeat omnia uitare nitentibus quae facere non debemus, secundum illud Iacobi, *Vnusquisque temptatur a concupiscentia sua abstractus et inlectus* [Jac 1:14]. Vt autem ad historicum quem dicunt sensum transeamus, eruditissimi docent nos hodie clerici Dominum per illa uerba significare diem temptationis appropinquare quo unumquemque temptabit ille Malus fidelem qui Deum timet uerbaque inuocat prophetica, *Timenti Domini non occurrunt mala sed in temptatione Deus illum conseruabit et liberabit a malis* [Sir 33:1]. Nos quidem, etiam maioris facientes pretii sensum tertium, scilicet moralem, oremus ne ipsi temptemur, *nam et nos infirmi sumus* [2 Cor 13:4] et pauemus ne forte reprobis simus [2 Cor 13:5], sicut dixit Dominus noster per similitudinem seminum, *Hi radices non habent qui ad tempus credunt et in tempore temptationis recedunt* [Lc 8:13]. Recognoscendum tamen temptationem a Deo haudquaquam originem habere, *Nemo enim cum temptaretur dicat quoniam a Deo temptor, Deus enim intemptator malorum est, ipse autem neminem temptat* [Jac 1:13].

Saepius quidem de temptatione ista loquuntur Apostoli in epistolis, sed omnibus constat Sacrae Scripturae interpretibus desiderium temptandi nequaquam in Diuina ratione residere, ex temptatione autem faciliter euenire posse ut uoluntatem suam efficiat Deus. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in temptationibus uariis incideritis, scientes quod probatio fidei uestrae patientiam operatur* [Jac 1:2–3].

Cotidianum uero est apud nos magistrorum officium negotiumque probatio. Vobis in mentem sapientissima refero Vice-Cancellarii nostri uerba in antiqua Congregationis domo graduandos alloquentis, per quae omnes admonebat audientes maximum

Vniuersitatis officium existere fouere artes probandi. His in scholis discimus docemusque euidetiae indagacionem, propositionum experimenta, rationis probationem. Et sic per examinationes seueras ingenia scholarium inuestigamus emendamus acuius ut solum probi ad gradus in facultatibus nostris admittantur. Sed dicet fortasse quispiam, Si Deus neminem temptat, nonne officio fungendi aduocati Diaboli iuste accusamini? Cui sic respondendum. In processu canonizationis clerico officiali est muneri mortuos quasi examinare temptareque qui in Domino sunt mortui, ut determinet num per uitae sanctitatem digni sint quos catholica ueneretur ecclesia. Quod officium haud scio an ab illa Legis et Euangelii discrepet sententia, *Non temptabis Dominum Deum sicut temptasti in loco temptationis* [Dt 6:16, Mt 4:7]; et ab eo quod scripsit Apostolus, *Nec temptemus Christum sicut quidam eorum temptauerunt et a serpentibus perierunt* [1 Cor 10:9].

Nuper fuit mihi studium ut testimonia inuestigarem de priscis prouinciae Britanniae martyribus qui in illo uixerunt passique sunt tempore in quo tantopere uigebat Romanum iugum ut plerumque in plateis nostris lingua Latina audiretur. Martyr Albanus sanctus adhuc Verulamii exaltatur, qui a iudice Romano condemnatus carnificem suum ad fidem Christi conuertit. Sixtum sanctum Britanni coluerunt usque ad Augustini aduentum Anglorum apostoli, qui per magni Gregorii papae auctoritatem cultum eius incredulus suppressit, ne populus prouinciae martyrem natium ipsi papae ignotum coleret. In libello autem eiusdem S. Gregorii responsionum adhuc legitur istius martyris corpus Britannos ubi iacebat uenerari. Inter hos Britannorum martyres Augulus quidam episcopus, cuius diem festum proximo mense celebrabimus, Londinii martyrizatus est, sicut commemoratur in beati Hieronymi Martyrologio:

A.D. VII IDVS FEBRVARIAS. IN BRITANNIIS CIVITATE AVGVSTA NATALE AVGVLI EPISCOPI ET MARTYRIS ANATOLII ANDREAE AMMONIS STACIANI NEPOCIANI LVCI SATVRNINI ET SATVRNI.

Fons antiquissima, nomina Romana, martyrum ut dicam grex, necnon formae perantiquae 'Britanniae' pro Britannia et pro Londinio

'ciuitas Augusta', omnia nobis uenerationis testimonium pronuntiant fidei dignissimum. Nostris autem temporibus Auguli nomen ne mentionis quidem censuit dignum uir eruditus Hippolytus Delehaye, cum nempe incredibile duxerit ullos Britannorum martyres in Martyrologio posse latere, similitudinemque nominum episcopi ac sedis suspicatus sit, quamquam nemo quod sciam illam ob causam episcopum Eborium Eboracensem ut fictum impugnavit qui Pace Ecclesiae recenti Concilio Arelatensi adfuit. Mihi quidem apparet SS. Auguli atque Sixti ueneratio testimonii stare fundamento firmissimo. Quis autem mihi scholari ab Hippolyti iudicio dissentienti, uiri sectae Bollandorum piissimae adhaerentis, contraque Gregorii papae sententiam pugnanti, fidem praestabit?

In talibus sanctorum causis affirmemus ueritatem meram simplicemque, neque hilum interesse utrum nos eorum res gestas, temporis ferrugine obsitas, clare discernere possimus an non : aut enim re uera exstiterunt illi, pro Christi fide martyrium sunt passi, ob illam passionis causam honorem uenerationis ut martyres obtinuerunt, aut non. Genuini saltem ex hoc numero, olim in Domino mortui, nunc in caelo peruiuunt, adhucque possunt se nobis beatos reuelare, sicut identidem per saecula fecerunt sancti Dei. Num nobis exspectandum dum cognoscamus non ex parte, sed integre, dum facie ad faciem uideamus [1 Cor 13: 9, 12], dum denique *uenerit ille Spiritus ueritatis* et docuerit nos *omnem ueritatem* [Jo 16:13]? Aeuo praeterito, cum primum fundamenta huius Vniuersitatis ponebantur, matri Ecclesiae non defuit occasio sanctos martyresque probandi illecebramque praebendi ut illi per miracula se reuelarent. Neque regulam Euangelii Legisque homines ne Deum temptarent prohibentium sic agentes transgredi sibi uidebantur clerici episcopique duodecimi saeculi. Veritatem custodiebat Ecclesia multiplicem flexilemque, alicuius martyris immemor pro temporis lapsu, cultum huius humana determinatione suppressens, illius obseruans aut renouans, sicut sibi temporis necessitati maxime uidebatur congruere. Pia etiam fraus.

At si impermanens sit ipsa ueritas, praeterque hominum uoluntatem et uires eam temptare, ane dumtaxat leges morales stabili ueritatis

fundamento firmatae permanent? De Deo solo dicitur, *Ego enim Dominus et non mutor* [Mal 3:6], *Pater luminum apud quem non est transmutatio nec uicissitudinis obumbratio* [Jac 1:17]. Sicut temporis progressu mutari potest quod uerum esse uidetur, ita saecula discrimen mutant recte uiuendi. Aeuu rete nos omnes capit, et licet euidetiae testimonia, propositionum experimenta, rationis documenta probemus, ipsius ueritatis conspectum timidi fugimus. Veritatem enim penitus inuestigare nefas censemus transcendentem, forsitan illud philosophorum negatiuum pauentes, utpote qui regulas morales per quas uitam agere profiteamur seuerissimae examini probationis subicere recuseamur.

Temptatio enim ut illa quae temptantur frangat conatur, probatio ut proba stabiliaque ostendat. Hinc Iacobus apostolus, *Omne gaudium existimate cum in temptationibus incideritis*, quia, quamuis nos temptare nolit Dominus Deus, sciemus *probationem fidei nostrae patientiam operari* [Jac 1:2-3]. Nobis a Deo promissus est temptationis finis, *Temptatio uos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur uos temptari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum temptatione prouentum ut possitis sustinere* [1 Cor 10:13]. Sic genti humanae auxilium in temptatione profert Deus, nam etiam Filius Suus ab illo Malo temptabatur, *in eo enim in quo passus est, et dum in Cruce pendeat, ipse temptatus potens est eis qui temptantur auxiliari* [Hbr 2:18]. *In quo exultatis, modicum nunc, si oportet contristati in uariis temptationibus ut probatum uestrae fidei multo preciosius sit auro quod perit per ignem probatur inueniatur in laudem et gloriam et honorem in reuelatione Iesu Christi* [1 Ptr 1:6-7]. Mitis fuit magister qui sic docuit nos orare, *Et ne nos inducas in temptationem* [Lc 11:4], quia temptatio euitanda est, sicut Petro somnolento dixit Iesus, *Vigilate et orate ut non intretis in temptationem : spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* [Mt 26:41]. Itaque semper nobis euitanda temptatio nisi eiusmodi probationem excipiamus qua magistri discipulique et ueritatem et se ipsos probant, *Vosmet ipsos temptate si estis in fide, ipsi uos probate* [2 Cor 13:5], *Omnia enim probate, quod bonum est tenete* [1 Th 5:21]. *Beatus uir qui suffert temptationem qui cum probatus fuerit accipiet coronam uitae* [Jac 1:12].